

## QUÆSTIO II.

### DE HIS IN QUIBUS BEATITUDO CONSISTIT.

#### SUMMA TOTIUS QUÆSTIONIS.

Agit D. Thomas in hac quæstione usque ad quintam, de re illa in qua consistit ultimus finis hominis, seu de beatitudine ex parte rei beatificantis, et de ejus adeptione, atque consequentibus ad eam.

Et primo in hac quæstione ostendit in quibus bonis beatitudo non consistat; deinde in sequenti, in quo consistat. Enumerat autem in hac quæstione septem famosiora, et excellentiora bona creata, quæ possent existimari ad beatitudinem, et felicitatem pertinere, nec tamen in eis consistit. Primum bonum sunt divitiæ: secundum, honor: tertium, fama, sive gloria: quartum, potestas: quintum, bona corporis: sextum, voluptas: septimum, bona animæ ipsi adhærentia. Ex quibus generaliter deducitur non posse tandem consistere in aliquo bono creato, tamquam in re beatificante.

Excludit autem in primo articulo divitias a ratione beatitudinis, seu finis ultimi, quia divitiæ naturales vestimenta, et alimenta serviunt ipsi homini, et ad ipsum ordinantur; non ergo sunt finis ad quem ordinatur homo. Divitiæ vero artificiales, ut pecuniæ, ordinantur ad comparandas naturales, vel conservandas; multo ergo minus ad eas ordinatur homo ut ad finem.

Excludit in secundo articulo honorem, quia honor exhibetur alicui, in signum alicujus excellentiæ, non vero ipsa excellentia est. Beatitudo autem maxime perficit hominem, illumque excellentem reddit, non supponit.

In articulo tertio excludit a fine ultimo famam, seu gloriam; quia fama est notitia clara, quæ de aliquo habetur, cum laude. Notitia autem quæ de aliquo habetur, et laus, si est vera, supponit ipsum habere in se excellentiam illi famæ parem, seu condignam, non illam tribuit. Si est falsa, non datur in homine talis excellentia, atque adeo non habet beatitudinem.

In articulo quarto excludit potestatem. Potestas enim est principium agendi, præsertim erga alios, qui potestati subduntur, finis autem est ultimum, quod assequi intendimus. Est etiam potestas indifferens ad bonum et malum, quia multi potestate abutuntur, beatitudo autem non permittit malum. Quæ ratio etiam currit de aliis bonis prædictis, ut divitiis, honoribus, etc. quibus plurimi abutuntur in malum.

In articulo quinto excludit omnia bona corporis a ratione finis ultimi. Tum, quia omnia bona corporis ordinantur ad bona animæ, ut ei deservientia, tamquam organa animæ; finis autem est id ad quod cætera ordinantur. Tum, quia bona corporis pertinent ad conservationem ejus in esse. Ipse autem homo non est sibimet finis, cum non sit summum sui bonum: ergo neque suum esse, aut conservatio in illo, est sua beatitudo.

In articulo sexto excludit voluptatem a ratione beatitudinis. Nam omnis voluptas, seu delectatio, generaliter loquendo, sequitur beatitudinem, non constituit, cum sequatur ex bono convenienti conjuncto, vel sperato; beatitudo autem est ipsum bonum hominis. Specialiter autem voluptas corporalis causatur ex bono corporali convenienti. Nullum autem corporale bonum, est bonum summum, cum corpus sit inferius anima; ergo et bona corporis inferiora bonis animæ sunt, non summum bonum.

In articulo septimo ostendit beatitudinem non esse aliquod bonum animæ, id est, aliquid ei adhærens, si loquamur de re beatificante, seu adeptæ, et fine qui, non de ipsa adeptione beatitudinis; quia anima ipsa non est sibimet beatitudo, cum ipsa potius perfici indigeat, et transeat de potentia ad actum ut perficiatur, non ipsum summum bonum sit. Multo minus potentiæ, aut actus, vel quidquid aliud est in anima, est bonum summum, cum sit bonum valde particulare, et ab ipsa anima derivatum. Adeptio tamen beatitudinis ad animam pertinet, quia aliquo animæ actu adipiscimur eam.

In articulo octavo ostendit in nullo bono creato posse beatitudinem hominis inveniri: quia intellectus, et voluntas se extendunt ad universale bonum, et verum. In nulla autem re creata invenitur universale bonum, sed participatum, et limitatum; unde nulla creatura implet voluntatem, quod pertinet ad beatitudinem, quæ est summum bonum, et sic satiati-vum appetitus.

## QUÆSTIO III.

### QUID SIT BEATITUDO.

#### SUMMA LITTERÆ.

Ostendit in articulo primo beatitudinem esse aliquid increatum, quantum ad rem adeptam, quia solus Deus est bonum summum, universale, infinitum, atque adeo solus potest implere voluntatem. Quantum autem ad ipsam adeptionem, seu usum, aut possessionem beatitudinis, est aliquid creatum, scilicet adeptio aliqua, seu fruitio istius boni.

In articulo secundo et deinceps usque ad octavum inquit, et tractat de ista formali beatitudine, quæ est adeptio. Et primo ostendit in articulo secundo esse aliquam operationem animæ. Nam beatitudo debet esse ultima perfectio, et actualitas hominis. Actualitas autem ultima non est ipsa forma informans, quæ est actus primus; et licet sit existens, potest esse in potentia operans, et sic nondum ultimate perfecta: ergo oportet, quod ejus beatitudo, et perfectio ultima sit actus secundus, et iste est operatio.

In articulo tertio, incipit discurrere, quænam sit hæc operatio. Et primo excludit operationem sensitivam, quasi formaliter in ea consistat beatitudo: quia hæc est aliquid corporale, et per corporalem actionem non possumus summum bonum; quod est Deus, attingere. Potest tamen ad beatitudinem perfectam consequi operatio sensitiva, ut erit in corporibus beatorum; et in beatitudine imperfecta, qualis est pro hac vita antecedere operatio sensitiva, quatenus præparat ad intelligendum.

In articulo quarto excludit a formali, et essentiali ratione beatitudinis actum voluntatis, licet consequatur ad illam. Nam formalis beatitudo est ipsa adeptio summi boni. Actus autem voluntatis formaliter non adipiscitur bonum: quia vel est amor rei absentis, non habitæ; et sic non adipiscitur illud, sed distat ab eo. Vel est amor rei habitæ, et præsentis, seu conjunctæ; et sic jam supponit adeptionem, et consequitur delectatio. Ipsa ergo consecutio finis alio actu fit, quam amoris. Quod si accipiamus. amorem antecedenter se habentem, et præscindentem a re habita, vel non habita, ille etiam præscindet ab adeptione, et possessione talis rei, et sic non erit beatitudo. Nec potest amor esse rei habitæ per ipsummet amorem: quia amor necessario supponit objectum cognitum, et apprehensum, et ipsa possessio, et conjunctio rei habitæ, debet esse cognita ut ametur, et placeat; ergo et antecedere actum amoris.

In articulo quinto ostendit operationem hanc quæ est beatitudo, principaliter consistere in intellectu speculativo, quam practico: quia contemplatio est superior, et perfectior operatio, magisque attingit rem divinam.

In articulo sexto ostendit perfectam beatitudinem non consistere in consideratione scientiarum speculativarum, quia hæc consideratio non se extendit ultra prima principia, in quorum virtutem resolvitur tota illa scientia. Hæc autem principia, cum sint accepta per sensum, non manifestant aliquid, quod in sensibilibus non sit contentum, et ad quod per sensibilia non possit duci. Non possumus autem per sensibilia duci in cognitionem substantiarum separatarum, et multo minus ipsius Dei in se; ergo per tales scientias non potest perfecte, et summo modo perfici intellectus; ergo neque beatificari.

In articulo septimo ostendit, quod neque in cognitione substantiarum separatarum, quales sunt Angeli, consistit beatitudo: quia tales substantiæ habent esse limitatum, et participatum; ergo et veritatem limitatam, et intelligibilitatem participatam; ergo non possunt satiare totam capacitatem intellectus, et summum bonum ei præbere quia hoc infinitum est.

In articulo octavo ostendit beatitudinem hominis consistere in visione divinæ essentiæ: quia quantumcumque ex effectibus cognoscatur Deus, quoad an est, semper tamen restat homini inquirendum cognoscere de illa prima causa, quid est; et sic non remanet plene satiatus appetitus. Ultra visionem autem talis quidditatis, et essentiæ primæ causæ, nihil restat, quia illa essentia est omnium entium supremum; ergo ibi est summum bonum, atque adeo beatitudo.

#### QUÆSTIO IV.

#### DE HIS, QUÆ AD BEATITUDINEM EXIGUNTUR.

#### SUMMA LITTERÆ.

Ea quæ ad beatitudinem exiguntur, aut tenent se ex parte animæ, aut ex parte corporis; aut ex parte exteriorum bonorum; aut ex parte societatis amicorum.

In quatuor primis articulis tractat ea, quæ requiruntur ex parte animæ, scilicet, tam in intellectu, quam in voluntate. Ex parte intellectus requiritur visio tamquam perfecta cognitio finis, et deinde comprehensio, seu tentio illius, quæ non est aliud ab ipsa visione, ut dicit in articulo tertio ad tertium, sed importat præsentiam rei visæ, quatenus illam facit præsentem voluntati, cui ante erat absens, et per spem quærebatur. Ex parte vero voluntatis est delectatio, quæ ad præsentiam, et tentionem summi boni consequitur, licet visio, ad quam sequitur principalior sit: quia delectatio est propter operationem, non contra. Et præter delectationem, est etiam rectitudo voluntatis, tum antecedens disponendo voluntatem ad consequendum finem, sicut materia disponitur ad formam: tum concomitans, aut consequens, quia voluntas videntis Dei per essentiam omnia amat sub ordine ad Deum, quia ipsum semper, et necessario amat, ergo non potest averti ab ejus amore.

In articulo quinto et sexto tractat ea, quæ requiruntur ad beatitudinem ex parte corporis. Et in primis supponit, quod beatitudo perfecta, quæ consistit in visione Dei, non dependet in se formaliter, et intrinsece a corpore, cum sit operatio illa intellectiva. Dependet tamen a corpore, quantum ad quemdam statum melius essendi; quia anima connaturalius est corpore, quam extra. Deinde ostendit requiri perfectionem corporis, ad consummatum statum beatitudinis, quia oportet quod sit tale corpus, quod non aggravet animam, nec tædium illi inferat, sed potius ex plenissima animæ beatitudine redundet in corpus vigor incorruptionis.

In articulo septimo ostendit, quod exteriora bona quibus utimur in hac vita, quasi adminiculis, ad perfectam illam beatitudinem, non requiruntur; quia nec ad operationem animæ, quæ videt Deum necessaria sunt, cum sit operatio spiritualis; nec ad corporis commoditatem; cum totaliter sit subjectum spiritui, non animalem vitam agat.

In articulo octavo ostendit ad illam beatitudinem perfectam visionis Dei, non requiri de necessitate societatem amicorum, cum sola Dei fruitione perficiatur; ad bene tamen esse, et ad statum abundantissimum, etiam de plurium societate gaudium eis erit.

#### QUÆSTIO V.

#### DE ADEPTIONE BEATITUDINIS.

#### SUMMA LITTERÆ.

Etsi visione Dei consequatur quis beatitudinem, tamen quomodo specialiter homo eam consequatur, et quomodo in illo sit, specialem habet difficultatem, et ideo specialiter de adeptione ejus ab homine hic inquiret.

Igitur in duobus primis articulis supponit D. Thomas duo. Primum, quod possibile est homini consequi beatitudinem. Secundum, quod potest unus esse beatorum alio. Primum determinat in primo articulo, quia homo est capax universalis boni per intellectum, ergo perfecti boni, ergo beati: ac denique est capax visionis beatæ per elevationem, in qua visione consistit beatitudo. Secundum vero ostendit articulo secundo, quia licet in ipso sum-